



A. II. 10 Q



D. SALOMO CONSTANTINVS
TITIVS

ANATOM. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORDIN.
FACVLTATIS MEDICAE VITEBERGENSIS

H. T.

DECANVS
ACTVM INA VGRALEM

A. D. 8. IANVARII. 1799.

PVBLICE HABENDVM

INDICIT

DE RENVM VITIIS

COMMENT. IV.

Renis hydatidibus obfessi descriptio.

4



D. SALOMO CONSTANTINVS
TITVS

ANATOMIAE ET CHIRURGIAE
FACULTATIS MEDICAE VITERSITATIS
ACTVS IN AVGVSTO
ANNO 1700

DE REANA VITAE
GAVRILAE
REANA VITAE
GAVRILAE



Duobus illis renum vitiis, quae hucusque proposuimus, tertium, de rene hydatidibus obfesso, addere liceat. Iuuenis viginti trium annorum, per corpus laxum, phlegmaticum, ad hydropem contrahendum praedispofitus, initio auctumni febre quartana afficitur, quae remediis efficacioribus haud compescenda, in hydropem, praecipue ascitem, aegroti fine Decembris letalem, abiit. In cadaueris sectione, praeter aquam, in pectore atque abdomine insigni copia accumulata, omnis tela cellulosa abdominis, vt et mesenterium, omentum, aqua turgabant. Ren dexter hydaticus, cuius caute separati, atque a partibus adiacentibus diligenter excissi, conditio morbola probe describenda est.

Huius renis, magnitudinem solitam duplo, quin fere triplo superantis, substantia flaccida, et quasi emollita fuit, vtraque superficies, anterior et posterior, pluribus vesiculis, a pili ad nucis moschatae magnitudinem, obtecta. Vesiculae istae maiores, minores, irregulariter rotundae, membrana renum externa, quae visceris superficiem inueffit, tectae, fluidum continebant serosum, quod per membranam tenuem transparebat. Dissecta hac tunica admodum gracili, liquor serosus, flauescens, odoris vrinosi, vel alcalino volatilis, effluxit, cavitates vel foueolas, et profundiores, et planiores, relinquens. Istae foueolae, altius in substantiam renum corticalem descendentes, impressiones corpusculorum rotundorum, vt nucum, offerebant. Neque tamen vtraque superficies renis aequali hydatidum numero fuit instructa. In anteriore, inprimis versus marginem maiorem externum, quatuor foueae, magni-

tudine reliquas excedentes, ambitum fabae maioris expletes, notatu dignae sunt, reliquae, hilo renali propiores, longe minores, ad pisi lentisue formam accesserunt. In altera facie, posteriore nempe, vertebrae opposita, maiores cavitates omnino desiderabantur, quorum locum plures minores, pisorum minimorum forma, in inferiori parte sitae, expleuerunt. Haec in externa facie. Interiorem renis fabricam exploraturi, eundem transuersim, a margine externo versus peluim, disseuimus, latex iam serosus ex pluribus, quae ibidem haerebant, foveolis, copiose profluxit. In superiori parte vnā, in inferiori duas foveas, ambitu nucis auellanae maioris, vidimus. His maioribus cellulis, plures minores, pisi lentisue forma, interspersae erant, ita, vt interior substantia, longe magis hisce vesiculis destructa esset, quam externa. Calices porro renales, in solito ampliores et aqua repleti; papillulae vero lamellulis calculosis obsessae. Vreter et vesica urinaria nil morbo si contraxerant; nec alia imiventris viscera maiora, hepar, lien, obstructa, flaccida potius, reperta fuerunt.

Non desunt similes de hydatidibus renum obseruationes, variosque huius morbi gradus, scriptores pathologici consignerunt, qui diligentiore omnino merentur classificationem. Mox enim vna modo vesica hydatica, eaque magna, reni affecto insedit, mox plures substantiam renum, praecipue corticalem, quasi obtexerunt, mox omnis renum massa eiusmodi vesiculis ita fuit consumpta, vt viscus affectum non corpus solidum, sed congeriem vesicarum diuersae magnitudinis, referret. Quibusdam obseruatorum fide dignorum testimoniis hanc distinctionem comprobemus.

Exempla renum vna solummodo hydatide maiori obsessorum, minus frequenter, ac reliqua, occurrunt. LIEVTAUO (Historia anatom. pathologica T. I. p. 1. obs. 1079. pag. 318.) in corpore haemorrhoidarii, nouendecim annorum, renem dextrum, cystide ad magnitudinem pilae lusoriae, sero flauescente turgida, donatum fuisse, ex Miscellaneis Curios. refert. Idem auctor

✻ + ✻

5

auctor (obs. 1175. pag. 347.) Hoastii auctoritate nifus, exemplum viri calculosi adduxit, cuius ren sinister praegrandis fuit magnitudinis, cum ingenti hydatide in superiori parte, qui varios lapides cum sabulo copioso recondebat. Apud MORCAGNIVM (De caussis et sedib. ep. 17. n. 14.) dimidia renis pars in amplam vesicam mutata fuit, quae sero ad uncias fere tres turgebat, quod igni expositum, vrinofum exhalabat odorem, et ebulliendo et spumando in auras abiit. Alia exempla in eodem libro (epist. 38. n. 40. 41.) reperies. Alteram renum hydaticorum speciem, qua plures vesicae in renum substantiam hic illic dispersae sunt, nullo amplius illustremus exemplo, eo, quod nosmet ipsi proposuimus, acquiescentes. Attentionem potius nostram merentur renes, qui tumoribus huius generis toti quanti consumti fuerunt. Mentionem omnino meretur casus a b. BOSIO (Progr. ad panegyrim medicam b. HARRII 1780. Lipsiae editum: de rene per hydatidem penitus destructo) diferte, vt solebat, descriptus. Femina triginta aliquot annorum, postquam breui ante mortem de colicis doloribus, quibus subinde vexabatur, conquesta fuerat, subito exstinguitur. In cadauere tumor ventris insignis, spinae dorsalis sinistrorsum incuruatae gibbositas, abdomen tactu molle, atque cedens, de caussa morbi interius latente, auctorem reddiderunt sollicitissimum. Abdomine discisso, mox tumor renis dextri, e sede sua moti, sese obtulit. Ren ergo exemptus, et diligentius examinatus, tumorem retulit praegrandem, membrana firma et densa, vt illa vesicae vrinariae, obductum, quae validius compressa, ne minimam aquae guttulam transmissit. Inaequalia in superficie aparuerunt tubercula, numero nouem, quae vltra libram aquae, paullulum flauescens, odoris leniter vrinosi, continebant. Ren apertus fere vacuus, atque exesus, vt nec vestigium vasorum transcurrentium superesset. Peluis renum crassa constabat tunica, atque cum fluido in rene contento, immediatam alebat coniunctionem, vt pelui, quo melius infundibula paterent, separata, aqua vi quadam profliret. Vreter praeter mutatum situm, nihil morbofi ostendit. Saepe vero



haec mira renis destructio, a vitio primae conformationis, vt vocant, repetenda esse videtur. In infantibus recens natis aliquoties renes ita affecti, reperiuntur. Cl. OTH. HEER (Diff. de renum morbis etc. adduntur specimina duo renis vnus in hydatides, alterius in lipoma mutati, tab. aëneis illustrata, Hal. 790. pag. 32.) obseruationem Meckelianam enarrat, qua in infante recens excluso, et, vt videbatur, adhuc immaturo, ren dexter magnitudinis immensae, tota substantia sua in hydatides variae magnitudinis degeneratus, vreter in loco paullulum a rene remoto, angustatus, et immeabilis, inueniebatur. Hydatides illae omnes magna copia feri turbidi scatebant, et ren sinister, naturali magnitudine, etiam duabus paruis hydatidibus gaudebat, reliquae partes sanae erant. SÖMMERINGVS quoque (nota ad BAILLIE *Anatomie des krankhaften Baues*, Berl. 1794. pag. 164.) in puero neonato, renis sinistri loco, congeriem hydatidum conspexit.

Quodsi nunc de ortu atque incremento morbi renalis, a nobis descripti, iudicium ferendum sit, pluribus nos impeditis sentimus difficultatibus. Vitae enim ratio, quam aegrotus ante febris eruptionem, tenebat, et morbi, quos fuit perpeffus, latent. Hydatides quidem in renibus, magna vasorum lymphaticorum copia, praecipue in externa superficie instructis, quod assiduae recentiorum anatomicorum perscrutationes probarunt, facillime oriri possunt. Quae vero huius visceris morbosa conditio, inprimis ad hanc labem concipiendam praedispouerit, nos fugit. Flacciditas, atque tonus, vt aiunt, immixtus, circulationem humorum debilitat, iustamque fluidorum resorptionem impedit. In nostro aegrotò laxitas corporis, febris praegressa, quae functiones turbauit, huic labi primam potuit praebere occasionem. Impedita enim per morbum febrilem lotii secretio, accumulationi feri, vasorum lymphaticorum dilatationi, causa forte exsistit. Ex altera vero parte, ipsum hoc renum vitium, temporis progressu morbo chronico, tandem letali, occasionem dedit; cum officina viscerum vropoëticorum
tur-

turbaretur. In decursu tamen morbi fatalis, qui per aliquot menses duravit, hanc renum labem ortam fuisse, cum quadam certitudine ad credendum inducimur. Lamellulas porro calculosas, in renum papillis haerentes, suas quoque in gignenda hac labe egisse partes, ex aliis exemplis de hydatidibus renum, iure concludimus. Haec enim complicationem huius vitii cum arenulis, vel frustis calculosis, intra renes haerentibus, confirmant. In exemplo antea ex LIEVTAUDIO repetito, lapides renales et sabulum copiosum, cum hydatidibus coniuncta erant. MERKLINVS quoque in Ephemer. Nat. Curios. Dec. III. a. 1. obs. 163. pag. 302. in viro calculosis insultibus subiecto, per extispicium, renes externe quamplurimis pellucidis vesiculis obfesos, variae magnitudinis, vrinoso fluido repletos, conspexit. Interius innumeri calculi, diversae figurae ac magnitudinis, adhaerebant, quorum nonnulli magnam caruncularum papillarium partem, tantopere obstruebant, ut inde vrina difficulter reddita, per parenchyma retro diffusa, eleuataque membrana, illas ipsas hydatides excitauerit.

Argumentum vero ad panegyria publicam Cl. VOGTII, laborum anatomicorum focii, indicandam, aptius eligere haud licuisset, quam hanc de rene hydatico tractationem. Cum enim Cl. Candidatus hunc aegrotum olim tractauerit, sectionem pathologicam ipse susceperit, atque praeparatum anatomico-pathologicum museo publico dicauerit, equidem eiusdem descriptionem publicae huic commentationi lubentissime inserui. Sed nunc quoque iure suo utatur,

VIR CLARISSIMVS

M. TRAVGOTT CAROLVS AVGVSTVS VOGT

GORSLEBA - THVRINGVS

MEDICINAE CANDIDATVS DIGNISSIMVS,

THEATRI ANATOMICI PROSECTOR DEXTERISSIMVS,

atque praemia laborum, studiique indefessi, capiat. Non tam
preci-





precibus enim, quam Eiusdem dignitati, Ordo Medicorum summos in arte salutari honores decreuit. Haud vulgarem cognitionem Suam in theoria aequae ac praxi medica, publicis, iisque repetitis documentis comprobauit. In primis anatomiae studio deditus, primus fuit, cui munus Professoris publici in nostro theatro anatomico tribueretur; nec sine laude huc usque hoc fungebatur officio, ut Eidem, in anatomicis laboribus indefesso amico, promeritam laudem iure tribuamus. Ordo quoque Philosophorum, propter humanitatis atque philosophiae studia, Ipsi honorem Doctoris Philosophiae ex merito contulit. Doctrinae Eiusdem humanitas cum animi candore minime cedit. Ipsum tamen vitam Suam atque studia enarrantem, iam audiamus.

Ego TRAVGOTT CAROLVS AVGVSTVS VOGT, natus sum Gorslebae, pago Thuringiae-Saxonico — electoralis Anno 1762. d. 2. Mens. Decembris, parentibus iam pridem mortuis, patre scilicet ERNESTO AVGVSTO, Lincis practico, matre vero MARIA SOPHIA CHRISTINA, e gente HESSLERIANA. A secundo usque ad decimum quintum annum Paedogephyrae (Kindelbrück), oppido a Gorsleba non procul disito, educatus sum. Cura parentum laudabili, religionis christianae praecepta mihi Scholae Paedogephyrae Praeceptores Ornatisimi, tradiderunt, WINZERVS ianior, ut salutatur, Baccalaureus et Collega tertius, et qui illi deinde successit RODHARDTVS, WINZERVS senior, Cantor et Collega secundus; Clarissimus ac Doctissimus BEVME, Scholae Rector, in latinis imprimis de me meritis, cui quoque praestantissimo Viro gratissimam semper spondeo mentem. Post Patris obitum ann. 1777. Lyceum Nordhusanum adii, cuius Praeceptoribus, de me meritisimis, maximas debitasque agendi gratias hic exoptatissima mihi se offert occasio. Inter quos vero, pie laudandos, nominatim commemoro Clarissimum Amplissimumque ALBERTVM, Gymnasiae Rectorem, a Schwarzseldensibus ad sacra administranda deinde vocatum; Celeberrimum Doctissimumque POPPIVM, post Alberti discessum, Rectorem, antea Conrectorem, summum erga me semper fautorem ac patronum; Venerandum VARGESIVM, tunc Gymnasiae Colleg. III. nunc diuini verbi ministrum ad Aedem S. Elisabethae, Virum de me multum promeritum; FRANKENSTEINVM

NIVM

NIVM Cantorem et Colleg. III. beatis iam annumeratum; MEISTER-
 RYM L. A. Magistrum, ob multa amicitiae domesticae, et eruditionis
 haud vulgaris specimina, in lectionibus privatis mihi edita. Anno 1786.
 iura civis academici Vitebergensis impetravi ab Excellentissimo MEER-
 HEIMIO, tunc temporis Academiae Rectore Magnifico. Precibus ma-
 ternis magis, quam mea sponte, commotus, litteris theologicis per ali-
 quod tempus operam navavi, atque a summo Venerabili TITTMANNO
 tunc Antistiti Sacrorum Vitebergensium et Prof. Theologiae, nunc au-
 tem Dioeceseos Dresdanae Antistiti, Consiliario ecclesiastico, et Se-
 natus Sacri Assessore, Exegetin IV. Evangelistarum, Actuumque Apo-
 stolorum, artemque hermeneuticam traditam audiui; a summe Venerabili
 REINHARDO, tunc Theologiae Prof. Ord. Philosophiae Extr.
 aedis ad artem Viteb. Praeposito, nunc Concionatore aulico summo Ele-
 ctoralis, Consiliario ecclesiastico, Senatusque Sacri Assessore, Theologiam
 dogmaticam, acute explicatam, percepi. Quorum duumvirorum, de me
 aliis quoque in rebus, meritissimorum, patrocinium gratissima mente vene-
 ror. Primas lineas linguae hebraicae mihi duxit, atque antiquitates iu-
 daicas enarravit, summe Venerabilis DRESDE Theolog. Prof. Ord.
 Succindam praeceptorum Logicorum explicationem mihi proposuit sum-
 me Venerabilis WEBER Theol. Prof. Ord. b. HILLERYM Prof. Elo-
 quentiae Celeberrimum, in curriculo philosophico percurrendo, prodro-
 num habui, eodem quoque usus sum doctore privato in arte disputandi,
 atque classicorum auctorum lectione cursoria. At cum studio artis medicae,
 iam a prima infantia ad hunc usque diem, maxime delectarer, et probe
 sentirem, me inuita Minerva, per aliquod tempus Theologiam tractasse, me
 precibus maternis, quod Deus ignoscere velit! immorigerum gessi, atque a
 Scholis theologicis, initio anni 1787. ad castra Medicorum transi, quae
 mihi statim amoenissima reddidit comitas, humanitasque Illustr. LEON-
 HARTI, tunc Prof. Medic. Ord. nunc Consilarii Aulici et Archiatri
 Elect. Saxonici, quem ut Excellentiss. SCHROECKHIUM, Cuius favo-
 rem Ille mihi conciliauit, patrem veneror. Omnibus eiusdem praelectio-
 nibus, quas, tamdiu Vitebergae versabatur, habuit, inter fui, in Mate-
 riam medicam, Pathologiam, Encyclopaediam medicam, Pharmaciam,
 Chirurgiam, Medicinam forensis, Chemiam; Scholas quoque Exami-
 natorias, tum theoreticas et practicas, tum disputatorias frequentavi.



in quibus triplicem scribendi occasionem nactus sum: de forma vestimentorum morbifera; de materia vestimentorum morbifera; de condimentis corporis inprimis faciei. Per aliquot quoque annos aegrotos suos curandi occasionem mihi fecit frugiferam. Maximas porro Praeceptoris meo ac Patrono optimo, ago gratias, quod manu medicatrice spiritus vitales, gravissimo morbo contagioso fere extinctos, mihi excitaret, excitationesque deinde apta diaeta corroboraret. b. NÜRNBERGERVS, Anatomes et Botan. Prof. Ord. Anat., Physiologiam, Bromatologiam, Botanicam, Splanchnologiam pathologicam mihi exposuit. Experientiss. BOEHMERVM, Therap. Prof. Ord. per aliquot annos, maximo cum usu docentem audiui Therapiam generalem cum materia medica coniunctam, specialemque. Scholis eius disputatoriis diu cum fructu, nunquam poenitendo, interfui. Libris mihi carenti, ne per inopiam a studiis tractandis retinerer, aditum beneuole aperuit ad suam bibliothecam, Stipendio Goetiano, Decanus Ordinis sui, saepius me subleuauit, ut et Illustr. LEONHARDI. Experientiss. TITIVS, Anat. et Botan. Prof. Ord. non solum lectionibus suis chemicis, pathologicis atque chirurgicis, sed etiam praeceptis practicis, cum aegrotorum suorum curam per aliquot annos mihi committeret, me erudiuit. Cuius Fautoris et Patroni de me permultum promeriti, beneuolentiam et liberalitatem saepissime experitus sum. Praeter alia fauoris documenta hoc commemoro, quod, cum munere quo fungor, arctius Illi coniungerer, me, ut amicum semper tractauit, non munere inferiorem, sed sibi parem, mihi quoque ut lectiones frugiferas anatomicas habere possim, suum museum anatomicum priuatum aperuit. Experientiss. LANGGUTH, Physic. Prof. Ord. Medic. Extr. Cui etiam per aliquot tempus ad lectos aegrotorum adfuit, mihi exposuit Chirurgiam, doctrinam de fasciis applicandis, Mineralogiam, historiam naturalem, artem obstetriciam. In physicis b. TITIVS, Prof. quondam huius scientiae et fautor nunquam obliuiscendus, in Collegiis suis disputatoriis mihi fuit fidissimus.

Quantas gratias Excellentissimo SCHROECKH Histor. Prof. Ord. agam, certe nescio. In historiae variis partibus Praeceptor excimus, in rebus oeconomicis Pater beneuolus, in honoribus Philosophiae Magistri tribuendis, in Patronis et Fautoribus mihi conciliandis, Ipse
Patro-

Patronus summus hucusque mihi fuit. Philosophiae moralis et iuris Naturae Principia, genuine mihi explicavit Excellentiss. DR. SCHMIDT, Moral. et Civil. Prof. Ord. Oeconomicas disciplinas Excellentiss. ASSMANN, Cereval. Prof. Ord. Styli cultioris praecepta, linguae latinae imprimis, mihi exposuit Excellentiss. ANTON, Oriental. Prof. Ord.; Horatii carmina varia, frugiferis explicationibus adumbravit Excellentissimus HENRICI, Eloquent. Prof. Ord.; in Ciceronis orationibus dilucidandis praeiuit mihi Excellentiss. MATTHAEI, Graec. ling. Prof. Ord. Quibus omnibus praeceptoribus, fautoribus et patronis, de me meritissimis, iterum iterumque maximas, obstrictissimasque ago gratias. Gratissima quoque mente agnosco Doctissimi DOERFFVRTI, Pharmacopoei Viteb. Celeberrimi, monita et frugifera colloquia, de medicamentis apte componendis. Celeberrimus SCHKVHR, rei herbariae Scrutator indefessus, plantarum cognitionem mihi exposuit. Corporis humani fabrica cum maximam mihi semper admirationem iniiceret, anatomicum studium Dresdae per hiemem anni 1795 et 1796 agitari, ducentibus Viris Experientissimis, Doctissimis, HAEHNELIO, Med. Doct. Anatomiae Professore, HEDENO, tunc Professore Theatri anatomici dexterrimo, nunc Protochirurgo exercituum Elector. Saxonior. meritissimo, qui quoque cum Praestantissimo WILDIO, tunc Protochirurgo nunc inter Chirurgos selectos electorales dignissimo, Chirurgiam ipsis manibus exercendam, me maximo cum fructu docuerunt. Artem obstetriciam mihi proposuit, eiusque encheireses exercere docuit Celeberrimus WEISSE, eiusdem artis Magister. Interdum quoque adfuit LORENTIO, Artis obstetriciae magistro dignissimo, dum partus feliciter manibus promoueret. Per omne tempus, quo Dresdae versatus sum Ill. LEONHARDI insignem cumulum beneficiorum quondam mihi Vitebergae tributis, addidit, ut Eiusdem favore atque beneficentia me maxime tunc ornatum fuisse, gratus agnoscam.

Nunc etiam praecipue laudandi sunt, quorum munificentia factum est, ut cursum academicum tam longe distrahere potuerim. Hinc ante omnia Principis Electoris, Patris Patriae Clementissimi, deuotissimis gratiarum actionibus praedico munificentiam, qua stipendio minimo, maiori, et maximo, hocque ex singulari Gratia solito longiore, rebus



meis domi angustis, succurrit, et munus Professoris in Theatro anatomico Vitebergae clementissime mihi demandavit. In quo ipso munere tum docendo, tum cadavera dissectando, tum artificiosa praeparatorum angiologicorum compositione, officiis satisfacere studui. Academiae Procerum liberalitatem, quae mihi benevole tribuit Stipendium Vaterianum, et Senatus Paedogephyrani, qui quoque me stipendio ornauit, gratissima semper memoria pie recolam. Tandem Ordini Medicorum Gratiioso publicas hic ago gratias pro iuribus Medicinae Praedici, viro mihi tributis.

Vltimum denique Specimen, publica dissertationis: *Amborum scapularum dextraeque simul claviculae fracturam raram proponentis*, sine Praefide, defensione, Auditoribus exhibebit. Destinatus est huic actui inaugurali 8. Ianuarii, quo die, vt **RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISS., PROCERES VTRIVSQVE REIPUBLICAE GRAVISSIMI, atque CIVES GENEROSISSIMI et NOBILISSIMI**, Candidato et Ordini Medicorum faueant, humanissime rogamus. Rerum bene gestarum arbitri aequissimi, frequentes adeste, nos vicissim omnibus officiis nostris, et obseruantiae studio, Vos demerebimur et prosequemur.

VITEBERGAE FESTO EPIPHANIAS 1799.

IN OFFICINA ADAMI CHRISTIANI CHARISII IMPRESSVM,

PICA^v

1018

+





D. SALOMO CONSTANTINVS TITIVS

ANATOM. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORDIN.

FACVLTATIS MEDICAE VITEBERGENSIS

H.

DECA

ACTVM INA

A. D. 8. IANV

PVBLICE H

INDI

DE RENV.

COMMEN

Renis hydatidibus

